



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 205. An, ut contrahatur hæc cognatio spiritualis, baptismus necessario debeat esse solennis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

Quest. 204. An, dum plures sunt patrini, omnes pariter contrahant dictam cognationem spirituales dirimentem matrimonium.

Resp. Dum plures simul tenendo tanguant baptizatum, vel de fonte sacro æquè suscipiunt, adeoque omnes sunt patrini, saltem dum ad hoc omnes designati sunt ab iis, ad quos id pertinet, contrahunt singuli dictam cognationem & impedimentum. Nav. *in man. c. 22. num. 39.* Pirh. *h. t. num. 31.* Tanner. *Tom. 4. d. 8. q. 4. du. 4. num. 69.* ubi etiam ait, sic declaratum expressè à S. Cong. Concil. & sic expressè deciditur. *c. quamvis fin. h. t. in 6.* à quo jure antiquo recedendum non est, quando aliud non statuitur jure novo.

Dixi: Saltem quando omnes designati sunt: nam hanc designationem omnium videtur requirere Trident. Unde docent Sanch. *l. 7. d. 57. num. 12.* Gut. *de mat. c. 100. num. 7.* quam sententiam esse valde probabilem ait Pirh. *h. t. num. 30.* quòd, si nulli designentur patrini, nullus contrahat hanc cognationem, etiamsi plures tanguant vel suscipiant baptizatum è sacro fonte; eò quòd Concilium intendens vitare nimiam hujus impedimenti multiplicationem, & ut certi essent illud contrahentes, tanquam conditionem necessariam ad hoc, ut veri sint patrini, videatur requisivisse, illos ad hoc munus designatos esse ab iis, ad quos pertinet illa designatio, nempe ad parentes, vel his negligentibus, ad parochum vel baptizantem, ita ut deficiente hac conditione, non sint veri patrini, & consequenter neque dictam cognationem contrahant. Nihilominus his expressè contrarium docent Castrop. *tr. 19. de Baptismo. d. unic. p. 11. §. 2. n. 9.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 9. n. 4.* Barb. *de potest. Episc. p. 2. alleg. 30. n. 42.* qui testantur, sic à S. Cong. decisum. item apud illos Ponc. *l. 7. c. 39. n. 11.* Nav. *c. 22. n. 39.* Rebell. *de obl. just. p. 2. l. 3. q. 6. n. 5.* & alii, ne, si neque omnes simul, neque ullus eorum sit verus patrinus, Baptismus solennis collatus censeretur debear sine patrinis; quòd Ecclesiam in hoc casu voluisse, nimirum ut in eo contra consuetudinem à tempore Apostolorum approbatam de adhibendo patrinis in omni solenni Baptismi collatione patrinus non esset, præsumendum non est; ac proinde dicendum, Trident. solum à patrinis munere spiritualisque cognationis impedimento exclusisse eos, qui ultra designatos tanguant, tenent & levant baptizatum; de iis verò qui nullis tangentibus constitutis seu designatis, id munus ultroneè suscipiunt, nihil expressisse; adeoque de his statuendum juxta Canones antiquos, nempe *cit. c. quamvis fin. h. t. in 6.* & affirmandum omnes verè patrinos esse. De cæterò, si plures viri vel fæminæ contra decretum Trident. (quòd non nisi ad limum duos, unum nimirum virum, & unam fæminam ad levandum baptizatum, seu ad munus patrinis admitteudos gravissimè præcipit) plures fæminæ vel viri à parentibus in patrinos designarentur, nec à parochio repellerentur, omnes contracturos, dictam cognationem libenter admittunt hi AA. & ipse Sanch. *l. c. num. 13. & 14.* contra Suar. apud Castrop. *l. c. num. 8. juncto num. 11.* tenentem, nullum ex iis in hoc casu esse verè patrinum, aut contrahere cognationem; eò quòd non quælibet designatio ad hoc sufficit, sed designatio legitima & Trident. conformis, qualis non est designatio plurium quàm duorum; ad quòd respondet cum aliis Castrop. Trident. excludens à munere patrinis

& cognationis impedimento solum eos, qui ultra designatos tetigerint baptizatum, non addidisse (cum tamen facillè potuisset) ultra legitime designatos, & esto, sic intelligendum Concilium, non tamen inde inferri plures illegitime designatos, nullis legitime designatis, levantes baptizatum exclusos esse. Ad hæc licet prohibuerit adhiberi plures, non tamen irritaverit cognationem eorum contrahendam. Porro observant Castrop. *cit. num. 11.* Sanch. *cit. num. 14.* quòd si plures (intellige etiam designati patrini) non simul concurrunt ad levandum puerum de sacro fonte, sed successivè unus post alterum suscipiat, secundum ejusdem sexus patrinum non esse, nec cognationem contrahere. De cæterò si unus eorum tanget, vel è manibus baptizantis immediatè suscipiat puerum, ille solus contrahit cognationem, non etiam alii, quamvis (intellige etiam aliàs designati) præsententur assistant. Laym. *l. c. num. 5. in fine.* Denique dum eo repulso, à parochio quem parentes designant patrinum, alius constituitur à parochio, hic contrahit dictam cognationem Castrop. *l. c. num. 9.*

Quest. 205. An, ut contrahatur hæc cognatio spiritualis, Baptismus necessarius debeat esse solennis.

I. Resp. primò: Baptizans sive solemniter, sive privatim baptizet, semper contrahit cognationem cum baptizato ejusque patre ac matre Castrop. *l. c. num. 13.* cum communi; si quidem Baptismus solennis & privatus in se & formaliter non differunt, sed tantum quòd ad ceremonias extrinsecas.

2. Resp. secundò: In privato Baptismo infantem levans ex sacro fonte, seu tenens ex proposito, ut munus patrinis obeat (secus si id faciat absque tali animo. Sanch. *d. 28. num. 4.* Pirh. *num. 34.*) verum effici patrinum, & contrahere cognationem, affirmant Nav. *l. c. num. 40.* Vi. vald. *l. c. num. 10.* Suar. *Tom. 3. q. 67. a. 8. in fine.* Cöineck. *d. 32. du. 2. concl. 5.* Ponc. *l. 7. c. 40. num. 5.* Zambran. *de Baptif. l. 1. c. 18. n. 4.* Laym. *cit. c. 19. num. 5.* Pirh. *h. t. n. 36.* Tanner. *Tom. 4. d. 8. q. 4. du. 4. num. 67.* contra Castrop. *l. c. n. 12.* Gasp. Hur. *d. 18. de mat. diff. 6.* Sotum *in 4. d. 42. q. 1. a. 2.* Sanch. *d. 62. n. 14.* referentem plures alios, eò quòd patrinus non tantum adhibeatur in Baptismo propter ejusdem solennitatem, sed vel maxime propter obligationem instruendi baptizatum; adeoque licet Ecclesia non præcipiat, ut patrinus in privato Baptismo adhibeatur, neque etiam veter, quòd minus verè interveniat, & consequenter, quòd minus si interveniat, veram contrahat cognationem spirituales, uti hoc confirmatur vix eo, quòd (tenente hoc ipsum Castrop.) licet Ecclesia etiam positivè prohibeat plures in Baptismo solenni intervenire patrinos quàm duos, si tamen plures interveniant, hi verè sint patrini. Unde non video, qua ratione dicat Idem Castrop. susceptorem seu patrinum solennem & privatim differre formaliter; quia esse susceptorem habetur ex institutione Ecclesie, quæ de susceptore privato vix unquam contingente mentionem facit, sed de solenni tantum; cum vel ipsis his verbis rationem det, cur expressè non meminerit de privato, seu ad Baptismus privatim adhibito patrinis, nimirum quia plerumque imminente periculo (in quo adhibetur Baptismus privatus)

vix spatium detur designandi patrinum; de cetero quemadmodum comprehendatur patrinus privatus, satis ex eo patet, quod jura statutaria hoc impedimentum æquè de privato ac de solenni Baptismo loquantur. c. 1. § c. fin. h. t. in 6. siquidem baptizatus privatim æquè instructore, quàm baptizatus solenniter indiget.

Quest. 206. Utrum monachi & religiosi quibus id prohibitum est, c. placuit. caus. 16. q. 1. c. non licet, & seq. dist. 4. de consecrat. si suscipiant seu levant infantem ex Baptismo, contrahant dictam cognationem.

R Esp. Videri quòd sic; ratio enim cur id iis prohibuitur est, ut Pirh. num. 34. Laym. l. c. num. 3. ne ob cognationem inde contractam nimiram etiam familiaritatem cum secularibus, præsertim feminis, contrahant; adeoque textus citati videntur esse tantum inhibitorii, non irritatorii.

Quest. 207. An dum supra domi privatum baptizatum postmodum in templo suppleatur ceremonia & solemnitates omisæ, etiam adhibitis patrinis, hi contrahant dictam cognationem.

R Esp. Neque hi, neque suppleas illas solennitates contrahunt hoc impedimentum (saltem dirimens) cognationis spiritualis; quia dicta suppletio non est collatio Baptismi, Sanch. l. 7. d. 62. num. 5. Pirh. num. 36. Unde etiam quoties Baptismus & confirmatio conferuntur invalidè neque baptizans, neque susceptor contrahunt hanc cognationem; dum enim principale non subsistit, nec accessorium validum esse potest; susceptio autem è Baptismo & cognatio inde subsequens sunt accessoria ipsi Baptismo. Cönnick. d. 32. de Sacram. du. 2. n. 31. Pirh. l. c. cum communi.

Quest. 208. Quæ ætas vel intentio requiratur in suscipiente, seu levante baptizatum, ut contrahatur hæc cognatio.

1. **R** Esp. ad primum: Nulla ætas certa ad hoc requiritur Sanch. l. 7. d. 60. n. 3. Nav. l. 4. consilior. cons. 2. de cognat. Spirit. Laym. num. 2. Pirh. num. 34. Sed neque necesse est, ut ætate excedat baptizandum. Sanch. Pirh. LL. cit. requiritur tamen usus rationis; qui enim necdum assecutus rationis discretionem, patrinus esse nequit. AA. iidem LL. cit.

2. **R** Esp. ad secundum: Requiritur intentio obeundi munus patris spiritualis seu patris juxta institutionem & consuetudinem Ecclesiæ; adeoque non sufficit materialiter levare è sacro fonte, vel etiam solum commoditatis gratiã, vel ob aliam causam V. G. ut patrinum senem juvet, baptizatum sustinere. Sanch. d. 58. n. 4. Laym. Pirh. LL. cit. Ponc. l. 7. c. 39. n. 9. Castrop. l. c. n. 4. nullatenus autem ex eo illam cognationem impedire poterit patrinus, quòd noluerit eam contrahere, si de cetero intentionem habeat exercendi munus patris; cum hæc cognatio officio patris annexa sit jure ecclesiastico, cujus efficaciam patrinus impedire nequit. Sanch. Castrop. LL. cit.

Quest. 209. An & qualiter requiratur, ad contrahendam hanc cognationem,

R. P. Lehr. Jur. Can. Tomus IV.

ut baptizans & levans sit baptizatus & fidelis.

1. **R** Esp. Neque baptizans, neque levans è sacro fonte est capax contrahendæ cognationis spiritualis ab Ecclesia introductæ ex Baptismo, qui non est baptizatus, etsi aliàs sit catechumenus; quia Ecclesiæ ejusque legibus, vi quarum hoc impedimentum introductum, subiectus non est. Barb. de potest. Episc. p. 2. alleg. 30. num. 34. Sanch. l. 6. d. 60. n. 7. § 8. Pirh. num. 35. Laym. cit. n. 2. dicens esse certam sententiam, juxta quod expressè habetur c. in Baptismate. d. 4. de consecrat. Pari modò patrinus esse non potest in confirmatione, adeoque nec inde contrahere cognationem, qui ipse confirmatus non est. Pirh. num. 34. Laym. num. 2. citans gl. incit. c. in Baptismate. Henriq. l. 3. c. 3. num. 3. Vivald. de Baptif. c. ult. num. 29. Sanch. l. 7. d. 60. num. 20. contra Nav. l. 4. cons. 1. de cogn. Spirit. Sotum in 4. d. 24. q. 1. d. 5. Roderiq. in Tom. 1. sum. c. 227. concl. 4. Sylv. Tabiena & c. Ex his jam

2. Infertur primò, infidelem, qui baptizavit filiam fidelis, etiam conversum & baptizatum, posse cum ea ejusque matre contrahere matrimonium; quia Baptismus, ex quo orti poterat illa cognatio spiritualis & impedimentum, tunc quando erat, illud & illam causare non poterat; quia infidelis non erat ejus capax; neque modò, dum jam capax est illius; quia non amplius existit; ita Sanch. d. 60. num. 11. Cön. cit. du. 2. num. 25. Pirh. num. 25. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. contra Henriq. l. 12. c. 3. num. 4.

3. Infertur secundò: Fidelem baptizantem, vel levantem è sacro fonte filium infidelis, nullam contrahere cum eo cognationem. Barb. l. c. Sanch. num. 14. Rodriq. l. c. n. 226. concl. ult. Pirh. Laym. LL. cit. contra Henriq. cit. c. 11. num. 3. Sylv. v. mat. 8. q. 7. dicto 12. siquidem cognatio spiritualis, cum sit relatio inter duos terminos ejus capaces, non potest ab altero eorum contrahi, quin ab utroque contrahatur; adeoque cum non baptizatus nequeat esse cognatus spiritualiter, etiam fidelis baptizans ejus filium non potest esse ejus cognatus spiritualiter. Laym. Sanch. Pirh. LL. cit. subjicit tamen Laym. quòd in hoc casu (nimirum ubi fidelis baptizavit filium infidelis) si patrens baptizati filii postea suscipiat Baptismum, ex eo tempore censetur contraxisse spiritualem cognationem, per quam impediatur à nuptiis cum persona baptizante, confirmante, & patris filii sui, atque ita doceri à Sylv. l. c. & Cön. l. c. n. 27. contra Sotum l. c. & Sanch. l. c. num. 15. quæ tamen doctrina, non video, quomodo subsistat cum eo, quod dixerat paulò ante. nimirum Baptismum, qui jam præteritus est, & non est, non non posse causare dictam cognationem in eo, qui jam quidem ejus capax est, non tamen erat ejus capax, quando existebat Baptismus.

Quest. 210. Dum quis per legatum vel procuratorem suum suscipit aliquem ex Baptismo vel confirmatione, quis eorum contrahat cognationem spiritualem.

1. **R** Esp. primò: Imprimis talis legatus, procurator vel mandatarius non contrahit illam cognationem; siquidem ut sit verus patrinus seu susceptor, adeoque cognationem

0 2

illam